



**BIBLIA**

**SACRA**

*Vulgatae editionis,  
SIXTI V. PONT. M.  
iussu recognita  
et*

**CLEMENTIS VIII.**  
*auctoritate edita.*

**VINDOBONÆ.**

*Excudebat Joa. Thomas  
Frattner. Cas. Reg. Ap. Maj.  
Aula Typ. & Bibliop.  
MDCCLX.*

*Epist. ad  
Sumian  
& Fon-  
tellam.  
Præfat.  
Evang.  
ad Da-  
m. m.*



1080046449

TOM

BS75

1760

V.1

C.1



B375  
1760  
U.1



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

v  
pore de hac luce subtractis; tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII. qui nunc Ecclesie universae gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V. intenderat, Deo bene iuvante perfectum est. Accipe igitur, Christiane Lector, eodem Clemente summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia, veterem ac vulgatam Sacrae Scripturae Editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita caeteris omnibus, quae ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, Hebraeis, Graecisque fontibus, & ipsis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit: in hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt; tum quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, sanctus Hieronymus non semel admonuit: tum quod facile fieri posse credendum est, ut maiores nostri, qui ex Hebraeis & Graecis Latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt: tum denique, quia sacrae Congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis propositum non fuit, novam aliquam

*Epist. ad  
Sumian  
& Fontellam.  
Praefat.  
Evang.  
ad Damasum.*

2 3  
110347



editionem cudere, vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; sed ipsam veterem ac vulgatam editionem Latinam a mendis veterum librariorum, necnon pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere; eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur juxta Concilii Oecumenici Decretum pro viribus operam dare. Porro in hac Editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est: atque ea causa fuit, cur Liber III. & IV. Esdræ inscripti, quos inter Canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipsa etiam Manassæ regis Oratio, quæ neque Hebraice, neque Græce quidem extat, neque in manuscriptis antiquioribus invenitur, neque pars est ullius Canonici libri, extra Canonicæ Scripturæ seriem posita sint: & nullæ ad marginem concordantiæ (quæ posthac inibi apponi non prohibentur) nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur. Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes S. Hieronymi, & alia id genus in aliis editionibus inseruerunt: ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione ejusmodi adjumenta pro studiosorum commoditate atque utilitate in posterum adjiciantur; ita tamen, ut lectiones variæ ad marginem ipsius Textus minime annotentur.

## CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**C**um sacrorum Bibliorum vulgatæ editionis Textus summis laboribus, ac vigiliis restitutus, & quam accuratissime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra Typographia Vaticana in lucem prodeat: Nos, ut in posterum idem Textus incorruptus, ut decet, conferretur, opportune providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium districtius inhibemus, ne intra decem annos, a data præsentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi quam in nostra Vaticana Typographia, a quoquam imprimatur. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de Textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis vero Typographus in quibuscunque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam nostræ S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quam non subjectis, hanc eandem Sacrarum Scripturarum editionem intra decennium prædictum quoquo modo, elapso autem decennio, aliter quam juxta hujusmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare; aut si quis Bibliopola a se vel ab aliis quibusvis, post datam præsentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos a præfato restituto & correcto Textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quam a Typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit,



rit, ultra amissionem omnium librorum, & alias arbitrio nostro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: a qua nisi Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque universis & singulis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum & locorum etiam regularium Prælati, ut præsentis litteras in suis quisque Ecclesiis & jurisdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo observari curent ac faciant. Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc; si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum, atque Universitatum, etiam studiorum generalium juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac litteris Apostolicis in contrarium quomodocumque emanatis, & emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latissime derogamus, ac derogatum esse decernimus. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem, in iudicio & extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si, forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die IX. Novembris MDXCII. Pontific. Nostri Anno 1.

M. Vesprius Barbianus.

## DE CANONICIS SCRIPTURIS

### DECRETUM

Ex Concilio Tridentino, Sessione Quarta.

*Sacrosancta Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur.*

Et infra:

Sacrorum vero librorum Indicem huic Decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti: Testamenti veteris, Quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum: Sapientia: Ecclesiasticus: Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus & secundus. Testamenti novi: Quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenfes, ad Colossenses, duæ ad Thesalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ: Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judæ



*Apostoli una: & Apocalypsis Joannis Apostoli, Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & inveteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.*

## HIERONYMI PROLOGUS

GALEATUS.

Viginti & duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque lingua & Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est. Nam & ipsi vigintiduo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moyfi totidem litteris scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes. Certumque est Esdram scribam, legisque Doctorem, post captam Jerosolymam & instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse quibus nunc utimur: cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. In Libro quoque Numerorum, hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac sacerdotum censu, mystice ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris invenimus. Sed & psalmi, trigessimus sextus, & centesimus decimus, & centesimus undecimus, & centesimus decimus octavus, & centesimus quadragesimus quartus, quamquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes, & Oratio ejus: Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait, Mulierem fortem, quis inveniet? iisdem Alphabetis vel inci-

incisionibus supputantur. Porro quinque litteræ duplices apud Hebræos sunt, Caph, Mem, Nun, Pe, Sade: aliter enim scribuntur per has principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde & quinque a plerisque libri duplices æstimantur, Samuel, Melachim, Dibre hajamin, Esdras, Jeremias, cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis. Quo modo igitur vigintiduo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraice omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita vigintiduo volumina supputantur, quibus quasi litteris & exordiis, in Deo doctrina, tenera adhuc & lactens viri justii eruditur infantia.

Primus apud eos liber, vocatur בראשית Be-resith: quem nos Genesim dicimus.

Secundus, ואלה שמות Veelle femoth: qui Exodus appellatur.

Tertius, ויקרא Vajicra, id est Leviticus.

Quartus, וידבר Vajedabber, quem Numeros vocamus.

Quintus, אלההדרברים Elle haddebarim, qui Deuteronomium prænotatur.

Hi sunt quinque libri Moyfi, quos proprie תורה Thora, id est, Legem appellant.

Secundum, Prophetarum ordinem faciunt: incipiunt ab Jesu filio Nave: qui apud eos ירשע בן נון Josue ben Nun dicitur.

Deinde subtexunt שפטים Sophetim, id est Judicum Librum. Et in eundem compingunt Ruth: quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia.

Tertius sequitur, שמואל Samuel, quem nos Regum primum & secundum dicimus.

Quartus, מלכים Melachim, id est Regum, qui tertio & quarto Regum volumine continetur.

Meliusque multo est מלכות Mamlachot, id est Regum, quam ממלכות Mamlachot, id est Regnorum dicere. Non enim multarum gentium describit regna, sed unius Israelitici populi, qui tribus duodecim continetur.

Quin.



- Quintus est, ישעיהו Isaias.  
 Sextus, ירמיהו Jeremias.  
 Septimus, יחזקאל Ezechiel.  
 Octavus, liber duodecim prophetarum; qui apud illos vocatur תרי עשר There asar.  
 Tertius ordo, Hagiographa possidet,  
 Et primus liber incipit a אהרן Job.  
 Secundus a דוד David: quem quinque incisionibus & uno psalmorum volumine comprehendunt.  
 Tertius est שלמה Salomon, tres libros habens: Proverbia, quæ illi משלי Misle, id est Parabolas appellant.  
 Quartus, Ecclesiasten, id est, קהלת Coheloth.  
 Quintus, Canticum canticorum, quem titulo שיר השירים Sir hassirim prænotant. Sextus, est דניאל Daniel.  
 Septimus, דברי הימים Dibre hajamin, id est Verba dierum: quod significantius, Chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare, qui liber apud nos Paralipomenon primus & secundus inscribitur.  
 Octavus, עזרא Esdras: qui & ipse similiter apud Græcos & Latinos in duos libros divisus est.  
 Nonus, אסתר Esther.

Atque ita sunt pariter Veteris legis libri vigintiduo: id est, Moyfi quinque, & Prophetarum octo, Hagiographorum novem. Quamquam nonnulli רות וקניזת Ruth & Cinoth, inter Hagiographa scriptitent, & hos libros in suo putent numero supputandos: ac per hoc esse præcæ legis libros viginti quatuor: quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis Joannis inducit adorantes Agnum, & coronas suas prostratis vultibus offerentes: stantibus coram quatuor animalibus, oculatis ante & retro, id est in præteritum & in futurum respicientibus, & indefessa voce clamantibus: Sanctus, sanctus sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Hic prologus, Scripturarum quasi galeatum.

tum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in canone. Machabæorum primum librum, Hebraicum reperi. Secundus Græcus est: quod ex ipsa quoque phrasi probari potest. Quæ cum ita se habeant, obsecro te Lector, ne laborem meum, reprehensionem existimes antiquorum. In templo Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum, argentum, & lapides pretiosos: alii byssum & purpuram & coccum offerunt & hyacinthum, nobiscum bene agitur, si obulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibilia nostra magis necessaria judicat. Unde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur & ciliciis, ardoremque solis & injuriam imbrum ea quæ viliora sunt prohibent. Lego ergo primum, Samuel, & Melachim meum: meum, inquam, meum, Quidquid enim crebrius vertendo, & emendando sollicitius & didicimus & tenemus, nostrum est. Et cum intellexeris quod antea nesciebas, vel interpretem me æstimato, si gratus es; vel Paraphrasten, si ingratus. Quamquam mihi omnino conscius non sum, mutasse me quippiam de Hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum iis opusculis quæ nuper emendavimus: & ubicumque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum cui magis accommodare debeas fidem: & si nostra firmaverit, puto quodeum non æstimem conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed & vos famulas Christi rogo (quæ Domini discumbentis pretiosissima fidei myrrha ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in sepulchro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit) ut contra latrantes canes, qui adversum me rabido ore deserviunt, & circumvent civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur,



fi aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiæ recordabor: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum confisteret peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & filii a bonis.

## HIERONYMUS PAULINO.

**F**Rater Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit simul & suavissimas litteras, quæ a principio amicitiarum, fidem probatæ jam fidei, & veteris amicitia præferebant. Vera enim illane cessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio: sed Dei timor, & Divinarum scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse: ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphitycos vates: sic Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit: ut qui Athenis magister erat, & potens, cuiusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus: malens aliena verrecunde discere, quam sua impudenter ingerere. Denique dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus a piratis & venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vincus & servus: tamen quia philosophus, major emente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque sinibus quosdam venisse nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat

rat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent. Appollonius: five ille magus, ut vulgus loquitur, five philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit, & ad extremum, latissimo Phison anne transmissio, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantalii fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiæ, ut Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in fabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret, & semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus Philostratus. Quid loquar de sæculi hominibus, cum Apostolus Paulus, vas electionis & magister Gentium, qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? post Damascum Arabiamque lustratam, ascenderit Jerosolymam, ut videret Petrum, & manserit apud eum diebus quindecim? Hoc enim mysterio hebdomadis & ogdoadis, futurum gentium prædicator instruendus erat. Rursumque post annos quatuordecim, assumpto Barnaba & Tito, exposuerit Apostolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut ecurrisset. Habet enim nescio quid latentis *εβραϊσμός* viva vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa, fortius sonat. Unde & Æschines cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait: Quod si ipsam audissetis bestiam, sua verba resonantem? Hæc non dico, quod sit in me aliquid tale, quod vel possis a me audire, vel velis discere: sed quod ardor tuus, & discendi studium etiam absque nobis per se probari, debeat. Ingenium docile, & sine doctore

II.

Actor. 1.  
I. Or. 13.  
Gal. 1.

Calat. 2.

III.



ctore laudabile est. Non quid invenias, sed quid quæras consideramus. Mollis cera, & ad formandum facilis, etiam si artificis & plastæ cessent manus: tamen virtute totum est quidquid esse potest. Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis legem Moyli & Prophetas didicisse se gloriatur, ut armatus spiritualibus telis, postea diceret confidenter: Arma nostræ militiæ, non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo, & parati subjugare omnem inobedientiam. Ad Timotheum scribit ab infantia sacris litteris eruditum, & hortatur ad studium lectionis, ne negligat gratiam quæ data sit ei per impositionem manus Presbyterii. Tito præcipit ut inter ceteras virtutes Episcopi, quem brevi sermone depinxit, scientiam quoque in eo eligat Scripturarum: Obtinens, inquit, eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat. Malachias propheta, immo per Aggæum Dominus: Interroga, ait, sacerdotes legem: in tantum sacerdotis officium est interrogatum respondere de Lege. Et in Deuteronomio legimus: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; seniores tuos, & dicent tibi. In Psalmo quoque centesimo decimo octavo: Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et in descriptione justii viri, cum eum David arbori vitæ, quæ est in paradiso, compararet: inter ceteras virtutes & hoc intulit: In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Daniel in fine sacratissimæ visionis ait, justos fulgere sicut stellas; & intelligentes, id est doctos, quasi firmamentum. Vides quantum inter se distent, justa rusticitas, & docta justitia? Alii stellis, alii cælo comparantur. Quamquam juxta Hebræicam veritatem utrumque de eruditis possit intelligi. Ita enim apud

eos

eos legimus. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Cur dicitur Paulus Apostolus vas electionis? Nempe quia legis & Scripturarum sanctarum erat armarium. Pharisei stupent in doctrina Domini: & mirantur in Petro & Joanne quomodo legem sciant, cum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere solet, illis hoc Spiritus sanctus suggerebat: & erant juxta quod scriptum est, Θεοδιδάκτοι. Duodecim annos Salvator impleverat, & in templo senes de quæstionibus legis interrogans, magis docet dum prudenter interrogat. Nisi forte rusticum Petrum, rusticum dicimus Joannem: quorum uterque dicere poterat: Et si imperitus sermone, non tamen scientia. Joannes rusticus, piscator, indotus? & unde illa vox obscuro: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? λόγος enim Græce multa significat: nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt: quæ universa recte intelligimus in Christo. Hoc doctus Plato nescivit: hoc Demosthenes eloquens ignoravit. Perdam, inquit, sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vera sapientia perdet falsam sapientiam: & quamquam stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos: sapientiam autem non sæculi hujus, nec principum sæculi istius, quæ destruitur; sed loquitur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula. Dei sapientia, Christus est. Christus enim, Dei virtus, & Dei sapientia. Hæc sapientia in mysterio abscondita est: de qua & noni Psalmi titulus prænotatur: Pro occultis filii, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Et qui in mysterio absconditus erat, prædestinatus est ante sæcula: prædestinatus autem & præfiguratus in lege &

Tom. I.

b

Pro-

Act. 9.

Isaie 54.  
Joan. 6.  
Luc. 2.2. Cor. 11.  
Joan. 1.V.  
Abd. 1.Isaie 29.  
1. Cor. 1.  
2. Cor. 1.

Coloss. 2.



Prophetis. Unde & Prophetæ appellabantur Videntes: quia videbant eum, quem cæteri non videbant. Abraham vidit diem ejus, & lætatus est. Aperiebantur cæli Ezechieli, qui populo peccatori clausi erant. Revela, inquit David, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Lex enim spiritualis est, & revelatione opus est, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur: quem si dederis homini scienti litteras ut legat, respondebit tibi: Non possum: signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras, tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille referaverit qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit? In Actibus Apostolorum sanctus Eunuchus, immo vir, (sic enim eum Scriptura cognominat) cum legeret Isaiam Prophetam, interrogatus a Philippo: Putasne intelligis, quæ legis? respondit. Quomodo possum, nisi aliquis me docuerit? Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc Eunuchus, nec studiosior, qui de Æthiopia, id est de extremis mundi finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator legis divinæque scientiæ fuit: ut etiam in vehiculo legeret Litteras sacras. Et tamen eum librum teneret, verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis & sanctus factus est; ac magister de discipulo, plus in deserto fonte Ecclesiæ, quam in aurato synagogæ templo reperit. Hæc a me perscripta sunt breviter (neque enim epistolaris angustia evagari longius patiebatur) ut intelligeres te in Scripturis sacris sine prævio & monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometricis, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est, & in tres partes

Isaiah. 2.  
Ezech. 2.  
Psalm. 118.  
Rom. 7.  
2. Cor. 3.

Apoc. 5.  
Isai. 20.

Apoc. 3.

VI.

sci.

scinditur, τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua, quam manu administrantur. Agricola, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque castores, lanarii quoque, & fullones, & ceteri qui variam supellectilem, & villa opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris Litteris philosophantur. Alii discunt, prohi pudor, a feminis, quod viros doceant, & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum; immo audacia, edisserunt alijs quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post sæculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant. Nec scire dignantur quid Prophetæ; quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongruaptant testimonia: quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, & Virgiliocentonas: ac non sic etiam Maronem sine Christo possumus dicere Christianum, quia scripserit: Jam redit & virgo, redeunt Saturniæ regna: Jam nova progenies caelo demittitur alto. Et Patrem loquentem ad Filium: Nate mea vires; mea magna potentia solus. Et post verba Salvatoris in cruce: Talia perstabat memrans; fixusque manebat. Puerilia sunt hæc; & circulatorum ludo similia, docere quod ignores: immo, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.

Videlicet manifestissima est Genesis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de

b 2

dis

VII.  
Genes.



divisione terræ, de confusione linguarum & gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum.

*Exod.* Patet Exodus cum decem plagis, cum decalogo, cum mysticis divinisque præceptis.

*Levit.* In promptu est Leviticus liber, in quo singula sacrificia, immo singulæ pœne syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus spirant cœlestia sacramenta.

*Numer.* Numeri vero, nonne totius Arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum percremum mansionum mysteria continent?

*Deut.* Deuteronomium quoque secunda lex, & Evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic ea habet quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? Hucusque Moyses, hucusque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur.

*Job.* Job exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur: omnesque leges dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba, plena sunt sensibus. Et (ut de ceteris fileam) resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit. Scio, inquit, quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspexerunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

*Josue sive  
Jesu Na-  
ve.* Veniam ad Jesum Nave, qui typum Domini non solum gessit, verum etiam nomine præfert, transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ cœlestisque Jerusalem spiritualia regna describit.

*Lib. Jud.  
Ruth. IJa.  
-16.* In iudicum libro, quot principes populi tot figuræ sunt.

Ruth Moabitibus, Isaia explet vaticinium, dicentis: Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filia Sion.

Sa-

Samuel in Heli mortuo, & occiso Saul, veterem legem abolitam monstrat. Porro in Sadoc atque David, novi sacerdotii, novique imperii sacramenta testatur.

Reg. I.  
& II.

Melachim, id est tertius & quartus Regum liber, a Salomone usque ad Jechoniam, & a Jeroboam filio Nabat usque ad Osee qui ductus est in Assyrios, regnum Juda & regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt: si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, & hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur.

Reg. III.  
& IV.

Duodecim Prophetæ in unius voluminis angustias coarctati, multo aliud, quam sonet in littera, præfigurant.

Osee crebro nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezrahel, & uxorem fornicariam, & fornicationis filios, & adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam, & sub veste lugubri, viri ad se reditum præstolari.

Osee

Joel filius Phatuel describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam: & post everfionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei, & ancillas, id est super centum viginti credentium nomina, & effusum iri in cœnaculo Sion. Qui centum viginti, ab uno usque ad quindecim paulatim & per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mystice continentur.

Joel.

Amos pastor, & rusticus, & ruborum mora distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria aut quatuor scelera Damasci, & Gazæ, & Tyri, & Idumææ, & filiorum Ammon & Moab, & in septimo & octavo gradu Judæ & Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samariæ monte, & ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ, & stantem Dominum super murum litum vel adamantinum, & uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, & famem in terram: non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

Act. 2.

Amos



*Abdias.*

Abdias, qui interpretatur Servus Dei, persequitur contra Edom sanguineum, terrenumque hominem: fratris quoque Jacob semper æmulum, hasta percussit spiritali.

*Jonas.*

Jonas columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad penitentiam revocat: & sub nomine Ninive, Gentibus salutem nuntiat.

*Mich.*

Michæas de Morasthi cohæres Christi, vastationem annuntiat filiæ latronis, & obfidionem ponit contra eam: quia maxillam percussit iudicis Israel.

*Nahum.*

Nahum consolator orbis increpat civitatem sanguinum, & post everisionem illius loquitur: Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem.

*Habacuc.*

Habacuc luctator fortis & rigidus, stat super custodiam suam, & figit gradum super munitiorem, ut Christum in cruce contempletur, & dicat: Operuit cælos gloria ejus & laudis ejus plena est terra, Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.

*Sophon.*

Sophonias speculator, & arcanorum Dei cognitor, audit clamorem a Porta piscium, & eju-latum a Secunda, & contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento.

*Aggeus.*

Aggeus festivus & lætus, qui feminavit in lachrymis, ut in gaudio meteret: destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem: Adhuc unum modicum, & ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.

*Zachar.*

Zacharias memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum vestibus fordibus indutum, & lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit & dextris: ut post equos, nigros, rufos, albos, & varios, & dissipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur & præ-

predicet, sedentem super pullum filium aînz subjugalis.

Malachias aperte, & in fine omnium Prophetarum, de abjectione Israel, & vocatione Gentium: Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, & Danielem, *Isaias.* quis potest vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium.

Secundus virgam nuceam, & ollam succensam a facie aquilonis, & pardum spoliatum suis coloribus, & quadruplex diversis metris nectit alphabetum.

Tertius principia & finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos ista: partes cum exordio Geneleos ante annos triginta non legantur.

Quartus vero, qui & extremus inter quatuor Prophetas temporum conscius, & totius mundi *φιδίως* lapidem præcisum de monte sine manibus, & regna omnia subvertentem, claro sermone pronuntiat.

David Simonides noster, Pindarus, & Alcaeus, *David.* Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Christum lyra personat, & in decachordo Psalterio, ab inferis excitat resurgentem.

Salomon pacificus & amabilis Domini, mores *Proverb. Ecclesiastes.* corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit & Christum sanctorumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

Esther in Ecclesie typo, populum liberat de periculo; & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, & diem celebrem mittit in posteros.

Paralipomenon liber, id est instrumenti veteris *Paral.* *επιτομή* tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum



seipsum irrideat. Per singula quippe nomina juncturasque verborum, & prætermissa in Regum libris tanguntur historiæ, & innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones.

*Esdras.  
Nehem.*

Esdras & Nehemias, adjutor videlicet, & consolator a Domino, in unum volumen coarctantur, instaurant templum, muros extruunt civitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio sacerdotum, Levitarum, Israelis, Profelytorum, ac per singulas familias murorum ac turrim opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me Scripturarum amore raptum, excessisse modum epistolæ, & tamen non impleffe quod volui. Audivimus tantum, quid nosse, quid cupere debeamus, ut & nos quoque possimus dicere: *Psal. 118.* Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Cæterum illud Socraticum impletur in nobis. Hoc tantum scio, quod nescio.

*Matth.  
Marc.  
Lucas.  
Joann.  
Ezech. 1.*

Tangam & novum breviter Testamentum. Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes, quadruga Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discuntur fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, terga pennata & ubique volitantia, tenent se mutuo, sibi que perplexi sunt. & quasi rota in rota volvuntur, & pergunt quocumque eos flatus Spiritus sancti perduxerit.

*Paulus.  
Apost.*

Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias: octava enim ad Hebræos, a plerisque extra numerum ponitur. Timotheum instruit ac Titum, & Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur, Super quo melius tacere puto, quam pauca scribere.

*Actus  
Apostolo-  
rum.  
2. Cor. 8.*

Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere: sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam.

*Jacobus.*

Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolæ

stolas ediderunt, tam mysticas, quam succin- *Petrus.  
Joann.  
Judas.*  
tas, & breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in sententiis: ut rarus sit, qui non in earum lectione excutiat.

Apocalypsis Joannis, tot habet sacramenta, *Apocal.*  
quot verba. Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Oro te, frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere. Noane tibi videtur jam hic in terris regni cœlestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, & quasi vilitate verborum, quæ vel vitio Interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, & in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tam petulans, & hebes, ut hæc me nosse pollicear, & eorum fructus capere, quorum radices in cœlo fixæ sunt: sed velle fateor. Sedenti me præfero, magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cœlo. Obvius de manibus excipiam, & (ut inepte aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effutiam) quidquid quæsieris, tecum scire conabor. Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum sæculi, fidem amicitæ, amorem Christi. Nam prudentiam & eloquii venustatem etiam absque illo ipsa epistola præferbat. Festina, quæso te, & hærentis in solo naviculæ funem magis præcide, quam solve. Nemo renuntiaturus sæculo bene potest vendere quæ contempfit ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est. Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet: Credenti totus mundus divitiarum est: infidelis autem etiam obolo indiget. Sic vivamus, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Victus & vestitus divitiæ Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende: si non habes, projice. Tollenti *Matth. 5.*  
tu.

*Matth. 7.  
Luc. 11.*

*VIII.  
Prov. 17.*

*2. Cor. 6.*

*Matth. 5.*



Matth. 4.  
Marc. 12.  
Luc. 11.

tunicam, & pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu, semper recraftinans, & diem de die trahens, caute & pedetentim tuas possessunculas vendideris, non habet Christus unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantum & retia reliquerunt. Vidua duo æra misit in gazophylacium, & præfertur Cræsi divitiis. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

PRÆFATIO  
S. HIERONYMI  
PRESBYTERI

In Pentateuchum Moyse ad Desiderium.

Gen. 9.

Desiderii mei desideratas accepi epistolas, qui quodam præfatio futurorum, cum Daniele sortitus est nomen, obsecrans, ut translatum in Latinam linguam de Hebræo sermone Pentateuchum, nostrorum auribus traderem. Periculosum opus certe, & obrectatorum meorum iactantibus patens; qui me afferunt in Septuaginta Interpretum suggestionem nova pro veteribus eudere, ita ingenium quasi vinum probantes: cum ego sæpissime testatus sim, me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quæ possum, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari. Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquæ translationem Theodotionis miscevit, asterisco & obelo opus omne distinguens: dum aut elucescere facit quæ minus ante fuerant; aut superflua quæque jugulat & confodit, maxime quæ Evangelistarum & Apostolorum auctoritas promulgavit. In quibus multa de Veteri Testamento legimus, quæ in nostris codicibus non habentur: ut est illud: Ex Ægypto vocavi filium meum: & quoniam Na-

Exod. 35.

zaræus vocabitur: & Videbunt in quem compunxerunt: & Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: & Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se: & multa alia quæ proprium *omnino* desiderant. Interrogemus ergo eos ubi hæc scripta sint: & cum dicere non potuerint, de libris Hebræicis proferamus. Primum testimonium est in Osee, secundum in Isaia, tertium in Zacharia, quartum in Proverbiis, quintum æque in Isaia. Quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta sectantur: & Hiberas nœnias libris authenticis præferunt, Causas erroris non est meum exponere. Judæi prudenti factum dicunt esse consilio: ne Ptolemæus unius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maxime idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre & Filio & Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt: ut & regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandria mendacio suo extruxerit: quibus divisi eadem scripturarum: cum Aristæus ejusdem Ptolemæi *ὑπερασπιστής* & multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint: sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit: hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit transfert. Nisi forte putandus est Tullius, Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protogoram: & Demosthenis pro Ctesiphonte orationem afflatus rhetorico spiritu transfulisse. Aut aliter de eisdem libris per Septuaginta Interpretes, aliter per Apostolos Spiritus Sanctus testimonia texuit: ut quod illi tacuerunt, hi scriptum esse mentiti sint. Quid igitur? damnamus veteres? Minime. Sed post priorum studia, in domo Domini quod possumus laboramus. Illi interpretati sunt ante adventum Christi-

Osee. 11.  
Isai. 11.  
Zach. 12.  
Prov. 18.  
Isai. 64.



Christi, & quod nesciebant, dubiis protulere sententiis: nos vero post passionem & resurrectionem ejus, non tam prophetiam quam historiam scribimus; aliter enim audita, aliter visa narrantur, quod melius intelligimus, melius & preferimus. Audi igitur æmule, & obtractator auscultata: non damno, non reprehendo Septuaginta: sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero. Per istorum os mihi Christus sonat, quos ante Prophetas inter spiritualia charismata positos lego: in quibus ultimum pæne gradum Interpretetis tenent. Quid livore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos: diversarum urbium magistros confute. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probaverunt, & emendatiora sunt exemplaria Latina quam Græca, & Græca quam Hebraica. Verum hæc contra invidos. Nunc te precor Desideri charissime, ut me, quia tantum opus subire fecisti, & a Genesi exordium capere, orationibus juves: quo possim eodem spiritu quo scripti sunt libri, in Latinum eos transferre sermonem.

*Ejusdem in Josue Præfatio.*

TAndem finito Pentateuchō Moyſi, velut grandi fœnore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittamus, quem Hebræi יהושע בן נון id est Josue filium Nun, vocant & ad Judicium librum, quem שופטים appellant: ad Ruth quoque & Esther, quos eisdem nominibus efferunt. Monemusque lectorem ut silvam Hebraicorum nominum, & distinctiones per membra divisas, diligens scriptor conservet; ne & noster labor, & illius studium pereat. Et ut in primis, quod sæpe testatus sum, sciat me non in reprehensionem veterum nova cudere, sicut amici mei criminantur: sed pro virili parte offerre linguæ meæ hominibus (quos tamen nostra delectant) ut pro Græcorum Εὐζανδοῖς quæ & sumptu & labore ma-

ximo

ximo indigent, editionem nostram habeant, Et sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt: maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices: & unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit quot ei vitium est: & utique non possit verum esse quod dissonat. Unde cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpis, & sanctum opus venenata carpere lingua, vel suscipiens, si placet; vel contemnens, si displicet: memineritque illorum verbum: Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinabit dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Exiffimasti iniquo quod ero tui similis: arguam te, & statuum contra faciem tuam. Quæ enim audientis vel legentis utilitas est, nos laborando sudare, & alios detrahendo laborare? dolere Judæos quod calumniandi eis & irridendi Christianos sit ablatu occasio, & Ecclesiæ homines id despiciere, immo lacerare, unde adversarii torqueantur? Quod si vetus eis tantum interpretatio placet, quæ & mihi non displicet, & nihil extra recipiendum putant; cur ea quæ sub asteriscis & obelis vel addita sunt vel amputata, legunt, & negligunt? Quare Daniele juxta Theodotionis translationem, Ecclesiæ susceperunt? Cur Originem mirantur, & Eusebium Pamphili, cunctas editiones similiter differentes? Aut quæ fuit stultitia, postquam vera dixerint, proferre quæ falsa sunt? Unde autem in novo testamento probare poterunt assumpta testimonia, quæ in libris veteribus non habentur? Hæc dicimus, ne omnino calumniantibus tacere videamur. Cæterum post sanctæ Paulæ dormitionem, cujus vita virtutis exemplum est, & hos libros quos Eustochio virgini Christi negare non potui, decrevimus dum spiritus hos regit artus, Prophetarum explanationi incumbere, & omisſum jam diu opus, quasi quodam postliminio, repetere: præsertim cum & admirabilis sanctusque vir Pammachius, hoc idem litteris flagitet; & nos ad patriam, festinantes, mortiferos

*Psal. 4. 9.*